

## OVATIONES

### CLARA COCKING BURK

In primo libro sui maximi carminis, Vergilius noster canit arma virumque, virum qui “claraque in luce refulsit os umerosque deo similis.”<sup>1</sup> Hodie honoramus feminam quae—reddens suum nomen verum omen—clarissimam lucem spiritum attulit multis studiosis puellis, dignitatemque dea similis. Docebat in capite patriae nostrae, apud illustrem academiam, quae sedem magistrorum Romanorum (id est cathedram) suo nomine commemorat. Intravit in luminis oras aspero vectore praeside, in civitate praeclara propter priorem barbatum praesidem. Alia civitas praeclara propter undas frumenti mugitusque boum rudentibus temporibus eam erudit. Reliquit tertiam civitatem, praeclaram propter pedes peregrinorum, initio magni belli secundi. Triginta annos domum discendi suam servavit, suasor gaudendi inter discipulas, exigens (ut una ex discipulis scripsit, evocans verba Horatii) “monumentum aere perennius.”<sup>2</sup> Plaudamus Clara Cocking Burk.

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 95.4 (2002)

JUDITH P. HALLETT

### WALTER DONLAN

Apud Homerum nostrum, deus ignipotens caelat sacram sedem, terminos regales, ubi operarii laborant et epulae parantur, in scuto facto ad confirmandas vires optimi ducis Achaeorum, bellatoris velocis pedibus. Hodie honoramus res gestas et labores optimi ducis Societatis nostrae, nuper pacificatoris prope oras maritimas eodem nomine. Hic vir creavit, inter studia historiae litterarumque Graecarum, et intra collegas eruditissimos gratissimosque, sedem consecratam investigandis illuminandisque regnis regibusque societatum descriptarum apud Homerum nostrum.

Simillime praeditus velocibus pedibus, celerius iter fecit a mari ad fulgens mare: haec terra est terra sua. Ex Universitate coccinea, ubi gradum Baccaurei Artium adeptus est, ad Universitatem, inter septentriones et occasum solis, conterminam ventosae urbi, quae ei dedit gradum Doctoris Philosophiae. E Nova Anglia, ubi linguas Latinam Graecamque, et historiam antiquam docebat in duabus academiis. E parvo collegio quoque propinquo ventosae urbi ad ingentem universitatem, in Civitate Aurea, ubi cursum multorum honorum perfecit. Inter praecipuos honores, ut Praeses Societatis nostrae et Curator Scriptorum quae multos annos edebat diligentissime servavit. Salvare iubeamus inter epulas nostras et plaudamus virum benignissimum, bene merentissimum, Walter Donlan!

*University of Maryland, College Park*  
*Classical World* 95.4 (2002)

JUDITH P. HALLETT  
ULYSSES VESTAL  
BRIAN VUOLO

---

<sup>1</sup> Vergil, *Aen.* 1.588–589.

<sup>2</sup> Horace, *Odes* 3.30.1.